UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

LIX. König Ludwig gestattet der Stadt Prenzlau, die von dem Herzoge Wartislav erkauften Mühlen und sonstigen landesherrlichen Hebungsrechte im Besitz zu behalten, vorbehaltlich des Auslösungsrechtes, ...

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55721

Visual Library

proſequitur ampliori, quos fide deuotione et operis exhibitione ſibi fore conſpicit promptiores. Conſideratis igitur fidelitatis et devotionis veſtre meritis porrectis nobis veſtris petitionibus benevolentius annuentes, Noſtri ac illuſtris Ludowici, Marchionis Brandenburgenſis, primogeniti et Principis noſtri cariſſimi nomine, cui vos devote et humiliter ſubdidiſtis, omnia Privilegia, Libertates, Jura et ſcripta a Marchione Woldemaro et Prioribus Marchionibus Brandenburgenſibus vobis tradita et conceſſa ſicut ea rationabiliter ſunt tradita et conceſſa approbamus, confirmamus et preſentibus litteris innovamus, Quas ſuper eo conſcribi et ſigillo Majeſtatis noſtre juſſimus communiri. Datum Franchenfurt VI. kalendas Julii, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo viceſimo quarto, Regni vero noſtri Anno Decimo.

Nach einem Copialbuche der Bresl. Bibl. J. F. 31, Blatt 49 u. 50.

LIX. König Ludwig geſtattet der Stadt Prenzlau, die von dem Herzoge Wartislav erkauften Mühlen und ſonſtigen landesherrlichen Hebungsrechte im Beſitz zu behalten, vorbehaltlich des Auslöſungsrechtes, am 26. Juni 1324.

Ludowicus, dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus, Prudentibus viris Conſulibus et vniuerſitati Ciuium in Prinzla, fidelibus ſuis dilectis, gratiam ſuam et omne bonum. Ex motu beneuolencie ſpecialis, quo circa vos afficimur propter fidei et deuotionis veſtre meritum, Unde nobis et Illuſtri Ludowico, Marchioni Brandemburgenſi, filio et principi noſtro kariſſimo, grati et placidi extitiſtis, vobis concedimus gratioſe, vt redditus, quadraginta ſex fruſtorum, qui vulgo dicuntur Stücke, in moneta, et decem cum dimidio fruſtorum in Thelonio prefate Ciuitatis prinzla, necnon molendinum in noua Ciuitate ibidem cum octo fruſtorum emptos, comparatos per vos ab Illuſtri Wartizlao Duce Stetinenſi, tenere, percipere et poſſidere valeatis, noſtro, ac predicti filii nomine atque vice, et ipſos vobis tenendos, percipiendos et poſſidendos, preſentis ſcripti patrocinio confirmamus, Ita ſane quod nos et predictus filius noſter habeamus liberam facultatem premiſſa et eorum quodlibet a vobis infra hinc et Feſtum beati Michaelis venturum proxime, et abinde per continuum triennium redimendi, et reemendi pro ſumma pecunie per vos in eorundem reddituum comparationem et emptionem ad dictum Ducem tradita et inpenſa, Alioquin, prefatis tribus annis elapſis, ſi huiuſmodi ſolutio vel redemptio per nos vel per ipſum filium noſtrum facta non fuerit, extunc preſcripta omnia vobis in hereditatem perpetuam remanebunt. In cuius rei Teſtimonium preſentes vobis dedimus et ſigillo maieſtatis noſtre iuſſimus cummuniri. Datum in Franchenfurt, VI. Kalend. Iuly, anno domini Milleſimo Trecenteſimo viceſimoquarto, Regni vero noſtri Anno decimo.

Seckt's Geſch. I, Urk.-Anh. S. 176 No. 24. und aus mehreren Copialbüchern.